

floridus a flore, ut potius germinans a germine; *neser* enim Theodotus et Aquila, teste S. Hieronymo in *Isai.* xi, 2, verterunt *germen*. Hoc enim nomine proprie vocatur Christus, *Isai.* xi, 2: «El flos, inquit, de radice ejus ascendet;» ubi pro flos hebræo est *נֶסֶר* *neser* per *tsade*. Nazareus ergo idem est quod floridus aut germinans, succrescensque in magnam et gloriosam arborem, pretiosos multosque fructus producentem.

Ratio est prima, quia alibi Christus vocatur *נֶסֶךְ* *tsenach*, id est *germen*, quod noster vertit *oriens*, scilicet germinans e terra, *Zachar.* vi, 12 et cap. iii, 8, quia scilicet Christus de Virgine ut germen de terra impollutum et ab omni labe peccati purum, omni virtute vires effloruit, ac suavitate odoris sui et fame longe lateque sparsit. Unde S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu sancto*, cap. v: «Flos, ait, avulsus odorem non amittit, contritus accumulatur.» Sic et Christus in passione contritus et occisus, vim suæ divinitatis et gratiæ magis ostendit.

Secunda ratio est quod in titulo crucis Christi, qui Romæ servatur et ostenditur in Basilica s. Crucis in Jerusalem, *נֶסֶר* *notseri* scribatur per *tsade*, non per *zain*, ait oculatus testis Pagninus in *Explicatione vocum hebræarum* in voce *Nazareth* et *Nazareus*. Sic et Syrus cum Arabico *Nazareus* scribit per *tsade*, et Rabbinus moderni a Christo *notseri*, id est Nazareno, Christianos vocant *notserim*, per *tsade*, id est Nazarenos. Unde præcisè scribendum fuisse Nazareus per *z*, non Nazareus per *z*; sed quia littera *tsade* Hebræis sono est duplex, valetque *ds*, vel *ts*, æque ac idem valet apud Græcos et Latinos littera *zeta*, hinc per eam scripsere Nazareus. Vidi et ego sæpius titulum S. Crucis Christi Romæ, et studiose inspexi; sed litteras ita exesas vidi, ut discernere nequiverim, an Nazareus in Hebræo scriberetur per *tsade* an per *zain*, imo potius per *zain* quam per *tsade* scribi videretur. Formam hujus tituli exacte in imagine expictam impressit Jacobus Bosius, lib. I *De Cruce triumphante*, cap. xi: inspicie illum, et ita, ut dixi, esse censebis. Adde titulum hunc fuisse conscriptum a Pilato, præside Romano ejusque ministris Romanis, qui, parum Hebræice periti, nesciebant an Christus diceretur Nazareus per *tsade*, an per *zain*, aut certe non curabant hæc litteras distinguere, cum quasi ejusdem senti sibi. Porro Nazarenum per *tsade* scribit explicantque *floridum* Rabanus, Ælyranus, Abulensis, Pagninus, Jansenius, Cajetanus, Barradius, Franciscus Lucas, Salmeron; sed multi ex his secuti sunt Pagninum, illique quasi oculato testi, dicenti in Cruce Christi *notseri* scribi per *tsade*, crediderunt.

Verum utraque sententia conciliari et conjungi potest, si dicas Christum Nazarenum dici, si litteras præcisè spectes, a *נֶסֶר* *neser* per *zain*, id est sanctitas, consecratio, corona; alludere tamen ad *נֶסֶךְ* *neser* per *tsade*, id est germen, flos,

quia hæc duæ litteræ *tsade* et *zain*, uti caractere, ita et sono sunt vicinæ, et inter se ac cum aliis quas includunt subinde commutantur, ut patet in conjugatione Hittæ. Vide Grammaticam Hebræam Bellarmini et aliorum. Quocirca utrumque conjunxit Psaltes, *psal.* cxxxix 18, dicens: «Super ipsum autem efflorescit (ecce Nazareus, id est floridus) sanctificatio mea,» ecce *neser*, id est, sanctitas.» Sic et S. Hieronymus hic: «Nazareus, ait, sanctus interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat. Possumus et aliter dicere, quod etiam eisdem verbis juxta Hebraicam veritatem in *Isaia* scriptum sit: «Exiit virga de radice Jesse, et Nazareus de radice ejus condescendit.» Denique ut litteris, ita et sensu hæc duæ nomina sibi mutuo cognata sunt; qui enim est Nazareus, id est separatus a terrenis voluptatibus, hic utique est Nazareus, id est floridus virtutibus. Hinc nonnulli Græcum *ἄγιος*, id est *sanctus*, derivant ab *α* privativo et *γῆ*, id est terra, *q. d.*: sine terra, qui enim a terra semotus, cœlestia ambit, hic cœlestis est et sanctus.

Porro Matthæus hoc addit, quia Nazareth oppidum erat exile et vile, hinc Nazareni nomen patrit Judeis et Gentibus videbatur vile et exile, imo ob illud multi absterrebantur a Christo, ne crederent ipsum esse Messiam. Unde Nathanael ad Philippum indicantem ei Christum a Nazareth: «A Nazareth, inquit, potest aliquid boni esse?» *Joan.* i, 46; et Julianus Apostata Christum per contemptum vocabat Galilæum et Nazarenum (Nazareth enim erat in inferiori Galilæa), adeoque telo cœlesti a Christo perussus moriensque: «Vicisti, ait, Galilæe, vicisti.» Contrarium ergo hic ostendit Matthæus, scilicet Nazareni nomen gloriosum esse utpote a Prophetis ante tot secula prænuntiatum et Christo attributum.

Sensus igitur est *q. d.*: Licet in Bethlehém natus sit Christus, tamen in Nazareth conceptus et educatus est, scilicet in urbe parva et obscura, ut ibi facilius Herodem infanticiam ejusque posteros latere posset, utque nobis daret exemplum humilitatis et contemptus pomparum mundi. Unde a Nazareth urbe dictus est Nazareus; sed ita ut non tantum nomen Nazareni, sed et respecta sanctitas nomine Nazareni significata, illi conveniat, atque ut hoc significaretur, Deus Christum voluit concipi et educari in Nazareth; itaque reipsa impletum est quod *Isaias* et propheta de eo prædixerunt, scilicet quod Christus *nasir*, id est *Nazareus*, id est *Sanctus*; *ac noseri*, id est *Nazareus*, id est *floridus* omni virtute et gratia, uti revera erit, sic et vocabitur; ac consequenter Nazareni nomen, quod Judæi et alii probro dederunt Christo et Christianis, illustre est, imo nota et index veri Messie; hoc enim titulo Messiam indicaverit et insignierunt Propheta. Porro Nazareni cognomen primi Chris-

to dederunt demones. *Luc.* iv, 34; *Marc.* i, 24. Deinde turbæ. *Marc.* x, 47; *Luc.* xviii, 37.

Tropologie: Christus Nazareus, id est separatus a mundo et consecratus Deo, ideoque omni virtute florens, origo, et pater et princeps fuit Nazareorum, id est Religiosorum qui, in mundum spernentes, totos se Deo dicant, ut virtutibus efflorescant, juxta illud *Thren.* iv, 7: «Candidiores Nazaree ejus nive, nitidiores lacte, rubiundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.» Vide dicta ibidem, et *Nim.* vi. Vide et nostrum Hieronymum Platun, lib. II *De Bono status relig.*, cap. XIX.

Addit Salmeron: *Nazareus* idem est quod *Samaritanus*, id est *custos* (*נֶסֶךְ* *notsar* enim est servare, custodire), scilicet hominum, vel *custoditus*, scilicet deitate, juxta illud *Job.* vii: «Quid faciam tibi, o custos hominum?» Et *Psal.* cxx: «Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.» Sic et Franciscus Lucas: «Nazareus,

inquit, est custos, servator, defensor.» In Nazareth ergo beata Virgo representatur ex qua Christus Nazareus natus est, quia ipsa custodia fuit ab originali peccato, a pudore conceptus, ab onere ventris, a corruptione et dolore partus, a molesta viri subjectione in vita et ab incineratione in morte. Corpus enim Virginis post mortem non fuit resolutum in cineres, uti fit in cæteris hominum corporibus, sed in cœlo cum anima assumptum ad gloriam. Ita Salmeron. Hæc vera sunt, sed magis symbolica quam litteralia.

Minus recte Isidorus Clarius per Prophetas accipit Interpretes S. Scripturæ, puta Scribas et Phariseos, qui, ex *Isai.* xi, 4, infellexerunt, et dixerunt Christum fore *neser* et *Nazarenum*, id est florem et floridum, ideoque apte patriam ejus vocatum esse Nazareth, id est florem, eo quod ipsa florem hunc, scilicet Christum, esset productura.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicat Joannes Baptista penitentiam, ut per eam homines præparet ad Christum Christique gratiam. Unde vers. 13 Christum baptizat, quando Spiritus sanctus in eum specie columbæ descendens, et vox Patris: Hic est Filius meus dilectus, ipsum esse Messiam toti orbi declaravit.

In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, 2. et dicens: Penitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum. 3. Hic est enim qui dictus est per *Isaiam* Prophetam, dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. 4. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pellicæ circa lumbos suos; esca autem ejus erat locustæ et mel sylvestre. 5. Tunc exibat ad eum *Iherosolyma* et omnis Judæa, et omnis regio circa *Jordanem*; 6. Et baptizabantur ab eo in *Jordane*, confitentes peccata sua. 7. Videns autem multos *Pharisæorum* et *Sadducæorum* venientes ab baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? 8. Facite ergo fructum dignum penitentiae, 9. Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus *Abraham*. Dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios *Abrahæ*. 10. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. 11. Ego quidem baptizo vos in aqua in penitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calcamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni. 12. Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. 13. Tunc venit *Jesus* a *Galilæa* in *Jordanem* ad *Joannem* ut baptizaretur ab eo. 14. Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? 15. Respondens autem *Jesus*, dixit ei: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum. 16. Baptizatus autem *Jesus*, confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. 17. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

1. IN DIEBUS AUTEM ILLIS VENIT JOANNES BAPTISTA PREDICANS IN DESERTO JUDEE. — *q. d.*: In tempore illo, scilicet quo Christus incarnatus et natus vitam egit inter homines. Nam hæc contigerunt anno 15 Therii, ut ait Lucas, cap. v, 1, cum Joannes et Christus agerent annum ætatis trigessimum. Transit ergo Matthæus a pueritia Christi ad virilem ejus ætatem, in qua coepit prædicationis et redemptiois munus, et quod obendum a Patre in carne et mundum fuissis erat, exercere, ideoque præmisit Joannem Baptistam ut is illum esse Messiam Judeis indicaret ne si ex abrupto, sine indice aut teste fide digno Christus in Judea appareret, ab omnibus sperneretur.

Porro Christus delituit (et artem fabrillem exercebat cum Joseph patre) per annos 19, ut insigne humilitatis orbi daret exemplum. Coepit ergo prædicare anno trigesimo, ut se Judæorum moribus et legibus conformaret; apud Judæos enim nemini munia doctoris aut sacerdotis obire licebat ante annum ætatis trigessimum, ut tradunt Hæbraei, et colligitur 1 Paralip. xxiii, 3. Hinc et Joannes eodem anno trigesimo, sed paulo ante Christum, coepit prædicare. Tantas et tam longas humilitatis Christi latebras admirans S. Bernardus, serm. 1 de Epiphania, exclamat: « O humilitas, virtus Christi! quantum confundis superbiam nostræ vanitatis! Parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, et jam scire non possum, impudenter me et imprudenter ingerens et ostentans; promptulus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cum tanto tempore silebat, cum seipsum abscondebatur, numquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ad inani gloria, qui est vera gloria Patris? Utique timebat, sed non sibi. Nobis timebat ob illa quibus noverat esse timendum: nobis cavebat, nos instruebat. Tacebat ore, sed instruebat opere; et quod postea docuit verbum, jam clamabat exemplo: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. »

IN DESERTO — non culto et habitato, quasi Joannes in domo paterna, quæ in montanis Judææ erat, commode habitavit, uti volunt nostri delicati novantes et desertores. Nam Isaias, cap. xl, 3, vaticinans de Joannis deserto, illud proprie accipit pro eremo, ut patet ex circumstantiis. Idem convincit asper Joannis pills camelorum vestitus, et cilicium, ac esen sylvestris, scilicet locusta et mel sylvestre, ita passim Patres Græci et Latini, quos fusc citat noster P. Canisius, lib. De Corrupt. Verbi Dei, cap. ii. Causa fuit ut Joannes, velut Moysis et Eliæ æmu^s, ac Christi præcursor, in deserto, ab hominum inquinamentis remotus, cum Deo et Angelis conversaretur, ab eisque magnæ virtutis et Spiritus vim hauriret, ac sanctitatis nomen et famam sibi pareret, cui proinde Christum ostendent omnes crederent, ac ejus prædicatione compuncti, penitentiam agerent: unde Patres crebro S. Joannem vocant principem

Joan-
nes vixit
in deser-
to: cur?

monachorum et anachoretarum, ut S. Hieronymus, epist. 22 ad Eustochium; S. Chrysostomus Theophylactus, Euthymius hic; Cassianus, Collatione XVIII, cap. vi. Hinc Joannes in deserto cum Angelis angelicæ vivens, æstimatus fuit Angelus, imo a Malachia, cap. iii, et a Christo, Matth. xi, 10, vocatur Angelus. « Hic est, inquit, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit viam tuam ante te. »

Symbolicæ: S. Joannes predicans in deserto, significabat Evangelium præcipue fore prædicandum, non in Jerusalem et Judea, sed in solitudine et deserta Gentium multitudine. Ita S. Hieronymus in cap. xl Isaia.

Tropologicæ: S. Joannes suo exemplo docuit Tropologicæ viros apostolicos et prædicatores futuros prius secedere ab hominum tumultu, et in secreto vacare orationi et meditationi, ut in ea magnam vim spiritus cœlestis hauriant, quam deinde prædicando in auditores effundant. Vide quæ de laudibus deserti dixi, Osse ii, 18, ad illa: « Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. » Huc facit illud S. Augustini epist. 76: « Non erit bonus clericus, qui non fuit bonus monachus. » Quocirca SS. Augustinus, Martinus, Chrysostomus, Nazianzenus, Basilus, Gregorius alique plurimi ex monasteriis in Clerum assumpti, et licet inviati, ad Episcopatus evecti sunt.

Porro hoc desertum Judææ fuit juxta Jordanem prope Ænon et Salim, ut patet, Joan. iii, 23, eratque celeberrimum, tum copia aquarum ad baptizandum, tum habitatione et miraculis prophetarum ac virorum religiosorum qui in libris Regum filii Prophetarum, id est discipuli Eliæ, Elisæ et similium vocantur.

Denique Nicephorus, lib. I, cap. xiv, testatur Joannem sesquiannum agentem a matre ductum in desertum, Herodianam forte iram fugientem. Addit Cedrenus in Compendio Histor. eum diluuisse in spelunca quadam, ibique matrem obisse, Angelum autem Joannis pueri curam suscepisse. Hæc spelunca postea ab eremitis culta fuit, ut patet ex Joanne Moscho in Prato Spirit., cap. i, ubi narrat hanc speluncam sitam esse juxta Jordanem, ad eamque casu divertisse Joannem Abbatem ægrotum, ibique a Joanne Baptista sanatum, cum pacto ut speluncam eandem incoleret. Apparens enim Baptista, ait illi: « Ego sum Joannes Baptista, et ideo tibi jubeo ut nunquam hinc recedas; nam spelunca ista brevis major est monte Sina, quippe in hæc sæpius Dominus noster Jesus, cum me visitaret, ingressus est. Pollicere ergo mihi quod hic habitabis, et ego meo sanitate tibi resituro. » Quod senex audiens, libenter spondit se in eadem spelunca permanurum. Et continuo sanus effectus, perseveravit ibidem toto vite sue tempore. Speluncam vero illam fecit ecclesiam, congregavitque ibi fratres. Appellatur autem locus ipse Sapsas.

Spelunca
Baptista.

Vera
spelunca.

2. ET DICENS: POENITENTIAM AGITE; APPROXIMAVIT ENIM REGNUM CÆLORUM. — Ideo Joannes ivit in desertum, ut ibi poenitentiam et vitam austeram agens, congruus fieret præco poenitentiae, utpote qui illam prius doceret exemplo, quam verbo. S. Joannem imitatus S. Gregorius Nazianzenus, erat. in sancta luminaria Epiphaniæ post medium: « Officium, ait, Magni Joannis, imo potius famulatum subire contendo vel gestio, et licet non sim præcursor, de eremo tamen venio. » Ipse enim cum S. Basilio secessit in solitudinem Ponti, ibique asperam egit vitam, atque inde hausto cœlestis Spiritu, quasi novus Baptista poenitentia præco prodiit. Hoc fuit thema, hæc summa prædicationis Baptistæ: « Poenitentiam agite; » quia tunc penes omnes erant peccatores vivebantque in suis vitis et cupiditatibus; peccatori autem necessaria est poenitentia, ut gratiam et justitiam a Christo percipiat.

Porro poenitentia non tantum est morum emendatio et novæ vitæ inchoatio, ut volunt hæretici; sed et veteris vitiosæ per dolorem detestatio, castigatio et destructio; nec enim nova vita inchoari potest, nisi vetus destruat: unde Glossa interl. sic exponit, *q. d.*: « Punit quisque mala prioris vitæ, quia appropinquabit salus quam perdidimus, et faculas redeundi unde cecidimus. » S. Augustinus, lib. De Peccat.: « Novam vitam, inquit, inchoare non potest, quem veteris non penitet. » Glossa: « Hoc, ait, præco nuntiat, quod postea veritas. Est autem poenitere, anteaacta delere, et delenda non committere. Quem vere poenitet, punit in se præteritos errores erigitque animum ad cœlestia; concepitur autem hæc virtus timore, et dicitur poenitentia a puniendo quod illicite commissum est. » Poenitentia ergo dicitur quasi poenitentia. Idem significat Græcum *πενίτεναι*. Unde Ausonius:

Sum Dea quæ facti, non factique exigo poenas,
Ut te poenitet. Sic Metanra vocor.

Hinc S. Gregorius, homil. 34 in Evang.: « Poenitentia, inquit, est præterita mala plangere, et plangenda iterum non committere. » Idem significabat Hebr. *הִנְחָמָה* *hinnachem*, scilicet poenitere et dolere de malo admissio. Unde Deus videns homines a se creatos in scelera ruentes: « poenitit eum, quod hominem fecisset in terra, et tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem quem creavi, a facie terræ. » Genes. vi, 6. Quare minus plene Evangelium Hebraicum S. Matthæo a Munstero attributum, pro *hinnachem* et *nechymim*, id est poenitere et poenitudines, nude ponit *הִשְׁבָּתָה* *tescuba*, id est conversio, vel *הִשְׁבָּתָה* *seuba*, id est convertimini ad Dominum; poenitentia enim non est nuda conversio ad Deum, sed et aversio a peccatis, sive dolor, compunctio et satisfactio, ut docet Apostolus, II Corinth. vii, 10 et 11, et Joel, cap. i, 12. « Convertimini, ait, ad me in toto corde, in jejuniis, et

in fleta, et in planctu. » Unde liquet poenitentiam tria munia complecti, scilicet dolorem, novam vitam et castigationem peccatorum, ut Deum placeat.

APPROXIMAVIT ENIM REGNUM CÆLORUM — quod scilicet Deus regnat in fidelibus in hac vita per gratiam, et in futura per gloriam, ipsoque facit reges et regni sui æterni participes. « Regnum cœlorum primus Joannes prædicavit, » ait Glossa, « quod nunquam Judæi audierant, » ait S. Chrysostomus. Et S. Hieronymus hæc: « Primus, ait, Baptista Joannes regnum cœlorum prædicat, ut præcursor Domini hoc privilegio honoretur. » Nota: Judæi expectabant regnum suum sub rege Messia in terra opulento et splendido, quale fuit sub Salomone; hujus enim filius et successor fuit Messias sive Christus, et tale etiamnum Judæi expectant a suo Messia. S. Joannes ergo, et post eum Christus et Apostoli ordiuntur prædicationem a regno Messie, sed cœlesti, non terrestri, *q. d.*: Jam adest tempus reserari cœli, hoc enim brevi Christus vobis sua morte pandet. Agite ergo poenitentiam de peccatis præteritis, et in futurum moribus corrigite, et in melius mutate, ut ab eo in regnum hoc introduci mereamini: « Ecce nunc tempus acceptabile (prædictum ab Isaia, cap. lxi), ecce nunc dies salutis, » quo cœlum quatuor annorum millibus clausum aperiat, ac qui volent, in illud ingrediantur, si videlicet semitam a Christo proponendam, scilicet *fi* *idem*, spem, charitatem et vitam cœlestem inæant, atque regnum cœlestis sive spirituale in Ecclesia militante inchoent, quod in triumphante latissime consummabunt. Ita Theophylactus, Jansenius, Maldonatus et Franciscus Lucas: « Regnum cœlorum, ait, vocatur dominatus Christi, ut in Angelos sanctos, ita et in societatem hominum eorum quorum recte composita vita in terris regentem e cœlis Deum sequatur, in cœlis totam ipsam possidente Deo æternum fruatur. »

3. HIC ENIM EST DE QUO DICITUR EST PER ISAIAH Vers. 2. PROPHETAM (CAP. XL, 6) DICENTEM: VOX CLAMANTIS IN DESERTO: PARATE VIAM DOMINI; RECTAS FACITE SEMITAS EJUS. — Hæc fusc explicii, *Isai. xl, 6*; quare ibi dicta hic non repetam. S. Joannes enim fuit vox Dei: primo Christum venturum prænuntians; secundo eum jam natum demonstrans, et ad poenitentiam invitans, et ad Christi gratiam preparans. Per « *vi clamantis*, fortitudo prædicationis indicatur, » ait Rabanus; clamatur enim longe positus et surdis, idque per indignationem. Apte Beda: « Clamavit quidem per alios Deus, sed et iste solus vox, quia Verbum presens ostendit. Parate ergo viam Domini, » idem est, quod « poenitentiam agite, » uti præcessit, *q. d.*: Agite, o Judæi, o mundi incolæ, quotquot estis, Christo jamjam venturo, et quasi Messie Regi vestro inaugurando, vias (uti regibus fieri solent) complanate, hoc est omnia amovete quæ eum offendere vel decedere possent, scilicet errores et peccata tollite per poenitentiam, atque efficitte ut

Christus ab omnibus et singulis expedite et cupide recipiatur, ut scilicet singuli corda mentesque suas ad Christi fidem et gratiam, ornamentoque sanctimoniam penitentem studiose præparent.

4. IPSE AUTEM JOANNES HABEBAT VESTIMENTUM DE PILLIS CAMELORUM, — non undulatum, quod vulgo camelot vocat, ut vult Chytraeus et delicatior naves, qui in pulpitis splendide ornantur quasi sponsi Penelope. Christus enim Joannem commendat ab asperitate vestitus, *Matth. xi, 8*: « Quid, ait, existis in deserto videre? hominem mollibus vestitum? » Quasi dicat, minime; nam « ecce qui mollibus vestitur in domibus regum sunt. » Joannes autem domos Herodis fugit et desertum in desertum, ac cautam prætulit aule: fuit ergo hæc ejus vestis villis, aspera, hirsuta, horrida, eremitica, cilicium, idque ut habitu ipso præferret et concionaretur militatem, mundi contemptum ac penitentiam: nimirum « de virtute animæ habitus corporis loquebatur, » ait S. Chrysostomus, sic et cæteri Patres et Interpretes, ac nominatim S. Anselmus et Eusebius Emisenus, homil. 1. de *Joanne Baptista*, qui aiant vestem S. Joannis fuisse cilicium camelinum; in Syria enim copia est camelorum. Hoc enim domabat carnem in juventute, sanguine et calore bullientem, ne in luxuriam deflueret, sicut faciebat S. Paulus, dicens: « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar. I *Corinth. ix.* Cilicium enim suis pillis et setis aculeatis, quasi totidem aculeis carnem pungens, valde eam mortificat, ejusque lasciviam et libidines refrænat, ut norunt experti. Hinc S. Egidius, unus e primis S. Francisci sociis, rogatus cur S. Joannes, qui nil peccaverat, tam ansteram egisset vitam et penitentiam? respondit: « Sicut carnes conduntur sale, ne putrescant, ita corpus Baptistæ conditum fuit penitentia. » Ita referunt Annales Franciscanorum: « Penitentia enim, ut ait S. Cyprianus, serm. de *Ratione circumcisions*, est corrosorium sal, desiccans recrudescens carnis putredines. » Hinc SS. Hilario, Antonius, Paulus, Pachomius, Barlaam cæterique anachorete, teste SS. Hieronymo, Athanasio, Palladio, Cassiano et aliis, vestiebantur cilicio vel sacco cilicium, ut hanc vestiturum Capucini, atque olim vestiebatur Elias, Elisæus cæterique Prophete, ut ostendi præmio in Minoribus Prophetas; imo Deus Ade fecit tunicas non byssinas, laneas aut lineas, sed pelliceas et duras, ut iis quasi cilicium carnem condidit et peccati sui penitentiam ageret, ut dixi, *Genes. iii, 21*. Celebris est gnome Augusti Cæsaris apud Suetonium: « Vestitus insignis ac mollis, superbie vexillum est nictæque luxuriæ. » Vis exempla? Accipe: S. Ephrem vitam S. Abrahameremite ita concludit: « In omnibus quinquaginta abstinentiæ suæ annis, vestem cilicium qua indutus fuerat non mutavit. » S. Clara per viginti octo annos, licet infir-

ma, cilicium e setis porcinis gestavit. S. Jospap Rex, regnum cum eremo commutans, aspera sibi a Barlaam datum cilicium sub veste ad nudam carnem portabat, teste Damasceno in *Histor.*, cap. xxxvii. Theodoretus in *Histor. relig.*, cap. xxxvii, de S. Abrahamo eremita ita scribit: « Hinc quoque desideravit videre imperator, et ad se accessit et veniens salutavit et excepit; et agresse illud cilicium sua purpura existimavit præstantius. » S. Guilielmus, dux Aquitania, conversus a S. Bernardo, lorica ferrea carnem suam domabat et contra tentationes armabat. Idem fecit S. Dominicus, qui ideo Loriciati cognomen accepit: durum sane et ferreum cilicium. S. Martini, teste Sulpitio, sententia fuit: « Decet Christianum in cinere mori; » unde ipse recubans in cinere et cilicio mortuus est, æque ac S. Anselmus, S. Carolus Borromeus pluresque alii. Quin et Josaphat patrem suum Abenner regem in cilicio sepelivit, teste Damasc. in *Histor.* I, 35.

ET ZONAM PELLICEAM CIRCA LUMBOS SUTOS. — Prophete, imo omnes Judæi et Syri longa utebantur veste: unde ne illa diffunderet et gressum impediret zona eam succingebant, ut essent expediti ad iter et robusti ad opus. Hinc monet Christus ut lumbis simus succincti. *Luc. xii, 45; Ephes. vi, 14.* Vide ibi dicta. Joannes vero insuper lumbos succingebat zona pellicea, ut illa magis vestem cilicium corpori apprimeret, itaque magis carnem pungeret et mortificaret ac spiritu subjectam redderet; in lumbis enim est origo seminis et libidinis; qua in re imitatus est Eliam, cujus hoc est elogium: « Vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus. » *IV Reg. i, 8.* Tritum est illud: « Accincta vestis, accincta mens; disincta vestis, disincta mens. » Nam, ut ait Ecclesiasticus, cap. xix, 27: « Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo. » Unde Sylla Pompeium et Romanos Senatores monebat ut male præcinctum puerum caverent, in eo enim multos inesse Marios. Erat is Julius Cæsar qui tum puer, sed postea vir, Pompeium, senatum et nobilitatem Romanam oppressit. Ita Macrobius, lib. II *Saturnal.*, c. ix. Vide S. Chrysostomum hic et Cassianum, lib. I *De Habitu monachi*, cap. i, qui ita inchoat: « Itaque monachum ut militem Christi, in pro-cinctu semper belli positum, accinctis lumbis jugiter opus est incedere, » idque probat exemplo Eliæ, Joannis Baptistæ, Petri et Pauli.

ESCA AUTEM EJUS ERAT LOCUSTE, ET MEL SYLVESTRIS. — Pro locusta Grece est *ἀκρίδα*, per quod: *ἀκρίδα* primo perperam Beza accipit pyra sylvestris; hæc enim non vocatur *ἀκρίδα*, sed *ἐκρίδα*; *ἐκρίδα* enim est pyrus sylvestris, spinæ genus, item pyrum agreste. Unde Columella, lib. X:

Palmilibusque feris letatur et aspera silvis Achrados.

Hoc est pyrastrer, sive pyrus sylvestris.

undo, perperam quoque nonnulli apud Epiphanium, *heres. 30*, que est Ebionæorum, per *ἀκρίδα*, accipiunt *ἐκρίδα*, id est bellaria ex melle et oleo confecta.

Tertio, alii Novantes per *ἀκρίδα*, accipiunt caneros marinos. Verum hi non vocantur *ἀκρίδα*, sed *ἐκρίδα*, vel *κακρίδα*; apud Athenæum; apud alios vero *κακρίδα*. Et unde, quæso, caneros marinos habuisset Joannes in deserto? Adde caneros, ut pote reptantes super terram, lege fuisse Judæis vitios, *Levit. xi, 41*. Denique cancri hi deliciae sunt divitum, a quibus abhorrebat Baptista.

Quarto, alii *ἀκρίδα*, vertunt herbas, vel arborum frondiumque summitates. Unde Æthiopiens vertit: « Esca ejus erant *ἀκρίδα*, id est extremi-
tates herbarum cum melle sylvestri, » in mel infincte.

Verum dico *ἀκρίδα*, sunt locustæ, uti vertit Noster, Syrus et Arabicus (*Ægyptius* vertit *ακίδα*, sed per cas intelligunt locustas; sunt enim locustæ que canunt ut cicadæ), ita dicta, quod *ακρίδα*, id est summitates aristarum et plantarum advolantes deponantur. Ita Theocritus et alii passim in Lexicis. Unde Origenes, Hilarius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus apud Canisium, lib. I *De corruptela Verbi Dei*, cap. iv, per *ἀκρίδα*, accipiunt insecti genus saltando volitans, uti sunt locustæ, que comedi solitas ab Æthiopiis, Libyis, Pardiis aliisque Orientalibus docet Plinius, lib. XI, cap. xxx, et lib. VI, cap. xxx. Unde hi a Diodoro Siculo, lib. III, c. iii, vocantur *ἀκρίδα*, id est locustivari, et S. Hieronymus, lib. II *Contra Iovinianum*: « Orientales, ait, et Libyæ populos, quia per desertum et calidam eremi vastitatem locustarum nubes reperiuntur, locustis vesci mori est. Hoc verum esse Joannes quoque Baptista probat. » Hinc et locusta, quia salit quasi mundum animal, inter escas Judæis a Deo permissas ponitur, *Levit. xi, 22*. Nec id mirum, cum in historiis legamus Germanos milites olim bombyces frigos comedis, Italos mustelas, Hispanos testudines domiporas: nulli quoque hodie edunt ostrea et conchylia etiam cruda, que ex putredine procreari solemus.

Porro locustas prisci manducabant vel elixas, vel tostas et in pollinem redactas; imo sole, vel sale et fumo duratas in totum annum servabant.

Denique locusta vilis est cibus, temperantia, pauperialis et penitentia index. Hieronymus Maurerialis, lib. II *Variar. Lect.*, cap. xx, docet locustas cibum esse sicum et vitam abbreviare ac pediculos morbosque generare; sed Dei beneficio aliter factum in Joanne Baptista, qui locustis vescens sanus vegetusque vixit, ac validus Dei præco, acer gula, luxuriæ omniumque scelerum castigator, et celestis regni prædicator exemplo magis quam verbo evasit.

De potu Joannis hic tacetur, quia constat eum

nonnisi aquam bibisse; in deserto enim nil aliud reperiebat. Unde Angelus de eo: « Vinum, ait, et sicram non bibet. » *Luc. i, 15*.

ET MEL SYLVESTRIS. — Querres quodnam et quale hoc mel? Primo, Rabanus censet esse arborum folia candida et tenera, que maniat confrita et trita, odorem et saporem quasi mellitum exhibent.

Secundo, Jacobus Faber Stapulensis putat mel hoc esse illud quod Plinius, lib. XI, c. xvi, inter genera mellis facit tertium, et ericæum vocat ab erica, qui frutex est autumnii tempore florens, cum relique herbae et virgulta deflorent; esque id mel insuave.

Tertio, alii putant mel hoc esse humorem ex Terria arborum foliis collectum.

Quarto, Suidas æstimat esse rorem, qui ex Quarta fruticibus et arboribus decerpitur, manna dicitur.

Quinto et genuine, S. Chrysostomus, Theophylactus lactus, Euthymius hic et Isidorus Pelusiota, lib. I, *epistol. 3* et *epist. 132*, censent hoc mel esse agreste ab agrestibus apibus, que in arboribus aut lapidum scissuris mellificant, confectum, quod amari et ingrati saporis esse docent Euthymius et Isidorus Pelusiota. Porro Æthiopiens habet *selenia*, que vox significat mel quoddam particulare communi suavis et sanius, quod conficit certum genus apum, ab Æthiopiis vocatum *tasma*, minus cæteri instar muscæ (1).

TUNC EXIIT AB EUS HERODIS TYRUS, ET OMNIS JUDEA, ET OMNIS LEGIO CIRCA JORDANEM. — Tunc, cum scilicet fama vitæ cræmice, austere et sancte S. Joannis, æque ne prædicationis ejus tam seriæ et ardentis, ubique vulgaretur: hæc enim fama Joannis, Hierosolymite et Judæi exciti et spiritu Dei impulsus, ad eum accurrebant, ut hominem novum quasi celo lapsum viderent et audirent. Tanti quæ omnes est sanctitas et sanctitatis opinio: quare ex excellent, qui populum ad vite mutationem traducere satagunt, oportet. Porro, Jordanis Hebr. dicitur quasi *יַרְדֵּן* *Yardan* *min dan*, id est *descendens ex Dan* civitate, que postea a Philippo tetrarcha ædificis aucta et illustrata, in gratiam Tiberii Cæsaris diæta est Cæsarea Philippi. *Dan* Hebr. significat *judicium*. Unde mystice notat eos qui timent Dei iudicium accurrere ad sanctos prædicatores, quales erat Joannes, ut ab eis viam salutis ediscant, itaque in die iudicii æ Christo iudice celo adjudicentur.

6. ET BAPTIZABANTUR AB EO IN JORDANE CONFITENTES PECCATA SUA. — Ineptè Calvinus *de baptizantur* interpretatur, *docebantur* baptismum po-

(1) Heetus alii, inquit Kukulcei, intelligunt mel sylvestre quod in Arabia aliisque Asiæ locis ex certis quibusdam arboribus in silvis manare solet et concretum colligitur. Diodorus Siculus, lib. XIX, 94, tradit Nabateos habere solitas esse *μέλι γλυκύναι* *ἀπο τῶν δένδρων τῶν ἰσχυροτέρων ἄκρον*, aqua mistum et temperatum.

matibus, virus suorum errorum agebant. Rursum viperæ notant detractones et calumnias quas Judei interserent in Joannem et Christum. Detractionis enim symbolum est dens serpentis et viperinus, juxta illud, *Deuter. xxxii*, in sensu mystico. « Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahendum super terram atque serpentium. » Fingunt poetæ « Cadmum Agenoris Phœnicum regis filium, serpentinos dentes seminasse et ex eis illico armatos milites natos esse, qui ad invicem contra seipsos insurgentes, cæde mutua correre omnes. » Illic dentium fictio representat detractones, quia dentes a demendo dicuntur, ait Cassiodorus in *Psal.*; quare non improprie detractorum linguæ dentes vocantur, quia sicut dentes partes ciborum demunt, ita hominum famam et honorem jugiter corrodunt detractores. Ex his ergo dentibus a diabolo in mundo seminatis, id est mediis detractoribus, lites, bella et contentiones oriuntur.

Quinto, S. Ambrosius in *Luc.*, cap. iii, 7, censet in viperis notari prudentiam Pharisæorum, juxta illud, *Matth. x*: « Estote ergo prudentes sicut serpentes; » « serpens enim per prudentiam previdet futura, venenum tamen non deserit: sic isti provida quadam devotione profutura et sponte deponent, nempe Joannis baptismum, adhuc tamen non relinquunt noxia et peccata. »

Sexto, viperæ, exemplo veneno, angine, caliginis oculorum, elephantie multisque aliis morbis medentur, teste lib. I *Dioscoridis*, cap. xvi. Unde Ægyptii viperas comedebant, teste Galeno, lib. III *Aliment. facul.*, æque ac Indi, teste Plinio, lib. VII; quin et ex viperis fit theriaca, presentissimum contra venena, pestem cæterosque morbos remedium. Sic Pharisæi, demptis erroribus, populum docebant veram fidem, legem et pietatem. Unde Christus: « Super cathedram Moysi, ait, sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quecumque dixerint vobis, servate et facite; secundoque opera vere eorum nolite facere: dicunt enim et non faciunt. » *Matth. xxiii*, 1 et 2.

QUIS DEMONSTRAVIT VOBIS FUGERE A VENTURA IRA? — Fugere, id est effugere: Hebræi enim per verbum simplex significant omnia composita, utpote quibus caret. Rursum *fugere* hic denotat actum non inchoatum sed perfectum, idemque est quod fugiendo evadere Dei iram et gehennam, juxta Canonem 12.

Pro demonstravit, græce est *ἠδείξα*, quod primo veritas, præmonstravit; secundo, suggestit, admonuit; tertio, demonstravit per rationes et exempla; unde *ἠδείξα*, est demonstratio.

VENTURA IRA. — Est non tam excidium Judææ, ut Titum, quam ira judicis Christi, quam ostendit impiis reprobands in die judicii, ac ultio et sententia damnationis quam in eos proferebat, ipsaque æterna damnatio et gehenna, ut exponit Christus, *Matth. xxiii*, 33. Hanc enim Christi iram iratumque vultum ita expavescent impij, ut dicant

« montibus: Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira Agni: quoniam dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare? » *Apocal. vi*, 16. S. Joannes enim uti præco fuit regni colorum, illud potentibus promittens, sic et præco fuit Dei et gehennæ, illam imponentibus, quales erant Pharisæi et Sadducei, intentans. Idem faciat prædicator, ut fecit Isaias, cap. ii, 19, et Osce, cap. x, 8, et Christus, *Luc. xxiii*, 30.

Sensus ergo planus et germanus est, *q. d.* « Quis demonstravit vobis fugere, » quod effugietis, vel modum effugiendi venturam iram, id est Christi irati judicium, vindictam et damnationem æternam? Sic enim Joannem explicat Christus, cum eisdem Scribis et Pharisæis comminatur gehennam, *Matth. xxii*, 33, « dicens: Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? » *q. d.* Minime fugietis ad fugere poteritis judicium gehennæ, sed in illud certo certius incidetis, quia estis genimina viperarum, id est innatam et longo usu confirmatam habetis hypocrisim et malignitatem, a qua avelli non potestis, quia non vultis: ficti enim ad me accessit quasi penitentes, cum vel non creditis Dei providentiam, iram et vindictam, uti non credebant Sadducei; vel si eam creditis, uti credebant Pharisæi, eam non timeatis, quia superbe putatis vos esse justos. Hos ergo Joannes graviter increpat, *q. d.* Quis vobis promisit quod evadetis gehennam? falsissima enim est vestra persuasio, o Sadducei, quod non sit gehenna. Vanissima quoque est vestra presumptio et securitas, o Pharisæi, quod non timeatis gehennam, eo quod superbe aestimatis vos esse justos. Emphasis est in verbo *demonstravit, q. d.* Ita secure vivitis et vestris cupiditatibus indormitis, ac si nulla post hanc vitam sit Dei vindicta et scelerum castigatio, aut certe vobis illa non sit metuenda. Unde vobis ista securitas, unde ista demonstratio? Quis vobis id certa et evidenti ratione demonstravit? certe nemo, nisi vestra superba stultaque persuasio.

Aliter Jansenius et Franciscus Lucas, qui censent hæc verba esse Joannis increpantis hypocrisim Pharisæorum et Sadduceorum. *q. d.* Non credo vos sincere ad baptismum meum accedere, sed fide et hypocritice; quis enim vobis demonstrare potuisset fugendam esse per meum penitentiam baptismum venturam Dei iram, cum eam vel non creditis, uti Sadducei, vel non timeatis, uti Pharisæi? incredulis enim et arrogantibus nihil demonstrari vel persuaderi potest, quod eorum opinioni et arrogantia sit contrarium: quare vos penitentiam ex animo non facitis, sed simulatis et fingitis vos iram Dei fugere.

Aliter quoque Maldonatus, qui censet hæc verba esse Joannis admirantis tantam tamque subitam Sadduceorum et Pharisæorum conversionem, *q. d.* Quis demonstravit vobis ut Dei judicium et

gehennam timeatis, quam antea non credebatis, vel non timebatis? « Unde tanta in vobis mutatio? utique non a vobis, sed a potenti Dei gratia et inoperatione, ait S. Chrysostomus, ac a mala vestra conscientia, que vos quasi reos excusat cogitque Dei judicium fecundare. »

Tropologicæ: S. Bernardus in *Declamat.* docet venturam, vel ut Græce est *παύσις*, id est futuram iram fugiendam esse per præsentem iram, id est penitentiam quam quis sibi irrogat, vel irrogatam a Deo acceptat: « Quis enim, miseri, inquit, demonstravit fugere a ventura ira? Quid præsentem tanlopere fugitis iram (qua futuram effugitis), flagellum timetis, declinatis virgam? et quidem in hæc die vestra, que ad pacem vobis; sed si cognovissetis et vos: mutatis, sed non effugitis penitentiam. Nam malum impunitum esse non potest. Non punitur hic propria voluntate, punitur alibi sine fine. Misera sane et extreme plena demencie commutatio, humanum declinare laborem, et paratum diabolo stridorem eligere sempiternum. » Peccator enim fugiens virgam Patris castigantis incidit in gehennam Dei judicis damnantis.

8. FACITE ERGO FRUCTUS DIGNOS (Græce *κατὰ ἔργον*, id est *fructus dignum* in singulari) PENITENTIE, — id est dignos penitentia. Græcizat Interpres; Græcum enim *ἔργον*, id est *dignus*, græca syntaxi poscit genitivum. Adde genitivum *penitentia* regi tam a *fructus*, quam a *dignos*. Docet Baptista modum et medium evadendi futuram iram esse præsentem penitentiam, sed dignam, id est veram, seriam et condignam, *q. d.* Quia vos, o Sadducei, Dei providentiam et iram in impios, scilicet vindictam et gehennam non creditis: vos vero, o Pharisæi, præfisi vestris operibus, quasi justillam non timeatis; hinc utriusque certo in eam incidetis: ut ergo eam evitetis, penitentiam agite, ac errores moresque commutale, ut vos, o Sadducei, perfidiam atheismi in fidem numinis; vos, o Pharisæi, superbiam in humilitatem, utriusque gulam in abstinenciam, luxuriam in castitatem, avaritiam in elemosynam; externam et Pharisæicam justitiam ejusque ostentationem in Christianam et internam sanctitatem transferatis. « Facite ergo fructus penitentia, » non simulatos et fictos, non externos, non tales quales, sed veros, internos et dignos, qui scilicet vere penitentem decet, ac seriam penitentiam indicant, atque ex animo vere penitentem proficiuntur, uti sunt lacrymæ, detestatio et punitio peccatorum, ac vite morumque seria conversio. Vide S. Gregorium, homil. 20 in *Evang.*

Adde dignam penitentiam esse, cum mensura doloris et penæ respondet mensuræ voluptatis et culpæ, ut crescente culpa crescat et penæ, ac gravitas hujus illius quantitati respondeat. Longe enim graviorem penitentiam agere debet adulter quam fur, et homicida quam adulter, et parricida quam homicida. Unde singulis peccatis dæmne ex

æquo decreta et admense sunt in Canonibus penitentibus. Ex æquo, intelligit respectu criminum et hominum, non respectu Dei. Unum enim peccatum mortale, cum sit offensæ Dei eique, quantum est ex se, rationem summi boni et ultimi finis (hunc enim peccator implicite ponit in creatura quam amat, ita ut eam Deo præponat) ac consequenter deitatem quasi adimat, ideoque peccatum sit quasi Christicidium et Deicidium, hinc infinitam quamdam malitiam in se continet, quia est offensæ, injuriæ et vœditio Dei qui est immensus et infinitus: quamobrem nulla creatura cujuslibet pœna vel penitentia, illi ex æquo et condigne satisfieri potest; imo etiam omnes homines et omnes angeli sponte sua omnia tormenta gehennæ per totam æternitatem paterentur, nunquam pro peccato mortali dignam penitentiam et satisfactionem Deo offerrent, sed solum Christus id facere potuit, utpote Dei Filius versusque Deus, cujus proinde penitentia et satisfactio ratione personæ, quæ infinite est dignitatis, pariter est infinita et æqualis ac condigna offensæ et injuriæ infinite in Deum infinitum admisse. Tanta est peccati malitia, quam si plene perspicerent homines, utique non peccarent.

Denique dignos penitentia fructus facit, qui Tertio conversus tanto studio servit veritati, quanto antea servit vanitati et diabolo; ac tam ferverent amat Deum, quam antea amavit carnem et mundum, juxta illud Apostoli: « Sicut exhibuistis membra vestra servit immunditie et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servit justitiæ in sanctificationem. » *Rom. vi*, 19. Sic ficit S. Magdalenæ, S. Petrus, S. Paulus, S. Maria Ægyptiaca, S. Pelagia alique penitentes. Lege eorum vitas, illosque imitare. Ita fiet illud sancti Gregorii: « Plerumque gratior est Deo fervens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia. » Vide S. Chrysostomum, Tertullianum, Patianum, tract. *De Penitentia*; Climacum, gradu V, qui est de accurata penitentia, ubi eam ita describit: « Penitentia est corporeæ consolationis perpetua et jugis reprobatio. Penitentia est voluntaria eorum rerum omnium que affligunt, toleratio. Penitentia est cruciatuum sibi semper opifex. Penitentia est valida ventris afflictio animaque in sensu firmissimo jugis reprobatio. » Lege sequentia, et vivam digne penitentium efficiem aspicietis.

9. ET NE VELITIS DICERE INTRA VOS: PATER AB ABRAHAM. DICO ENIM VOBIS. QUONIAM POTENS EST DEUS DE LAPIDIBUS ISTIS SUSCITARE FILIOS ABRAHAM. — Pro ne velitis Græce est *ἵνα μὴ λέγητε*, id est ne videamini, ne opinemini, ne reputetis, ne gloriemini dicere intra vos, in animo cogitare, vobisque blandiri, ut in hac cogitatione innoxie secure conquiescat et in utraque aurem dormiat: « Patrem habemus Abraham. » Solebant enim Judei confidere et gloriari in hoc, quod essent filii Abrahæ: unde illud Christo objec-

Yarhi:
morbis
medicis
ut: q.
ve.

Penitentia
est efflu-
gias.

Vers. 9.
Luc 7. 8.

